

Zur
Gräfl.vom Hagen'schen
Majorats - Bibliothek



MÖCKERN
gehörig.


No 1415

21
we

19
DIET. HERM. KEMMERICHII, IC.
SERENISS. SAX. DUCVM STIRP. ERNEST. CONSIL. AVLICI,
FACVLT. IVRID. ET SCABINAT. PRAESIDIS ORDINARII,
CVRIAE PROV. SAX. ASSESSORIS ET ANTECESS. PRIMARII
IN ACADEMIA IENENSI,

P R O G R A M M A
D E
I V R E
AVGVSTISSIMI IMPERATORIS
CIRCA
CONSTITVENDVM
ECCLESIAE ROMANAE CAPVT,

EDITVM ANNO M DCC XXIV.
IAM VERO RECVSVM.



IENAE LITTERIS RITTERIANIS
A. O. R. M DCC XXXX.



LIBRARIUS
H. R. O. G. A. M. M. A.
IN ACADEMIA

F. R. O. G. A. M. M. A.
V. R. E.


AVVOCATI
CONSTITUTUM

IN ORDINE ROMANO CAPUT
MCCCLXXIV



LIBRARIUS
H. R. O. G. A. M. M. A.





VM sese nobis offert *CANDIDATUS*
NOBILISSIMVS, qui ad summos in
utroque Jure adspirat honores, in
mentem mihi veniunt *CANDIDA-*
TI EMINENTISSIMI, qui ad summam in Ec-
clesia Romana dignitatem evehi non ita pri-
dem summa ope nixi sunt: In mentem simul
veniunt molimina summorum Regum ac Prin-
cipum, qui, ut ad summum istud Honoris Sa-
cri fastigium promoverent suis partibus ad-
dictos, excluderent vero adversos, nihil fece-
runt reliqui: in mentem denique veniunt *Fu-*
ra, quæ *AVGVSTISSIMO IMPERATORI* nostro
circa *constituendum Ecclesie Romanae Caput* vel
olim competierunt, vel adhuc forte compe-
tunt. Equidem negari nequit, prioribus tri-
bus *Seculis* Episcopos, uti alios, ita et Roma-
nos, ab universa Ecclesia, *Clero et Populo*, fuisse
electos: quem modum *traditionem Divinam et*
Apostolicam observationem appellat *CYPRIVS*, a)

A 2

licet

a) *Epist. 68.* Add. *DION. PETAV.* de Hierarch. Eccles. Lib. 1.

licet nihil de eo ab Apostolis lege immutabili sancitum legatur. At enim vero, ex quo Imperatores Romani Christo nomen dederunt, ipsimet, sui veluti Juris officiique memores, tam Pontificem Romanum, quam reliquos Episcopos, constituerunt, quoties libuit, vel saltem non temere quemquam ad Episcopalem dignitatem provehi passi sunt, nisi accedente suo consensu, suaque confirmatione: haud dubie, quod Episcopi magnæ in populo auctoritatis essent; unde providendum erat, ne forte, Demagogis improbis ac turbulentis sacro hujusmodi officio admotis, Resp. detrimenti quid caperet. *b)* Hinc statim a CONSTANTINI M. tempore obtinuit, ut nemo Pontificum Romanorum, cujus eligendi potestas apud plebem fuit et sacrum ordinem, prius ordinaretur, quam transmissio Constantinopolim electionis decreto, auctoritas Imperatoria accederet: idque *secundum antiquam consuetudinem* factum fuisse, ipsa Romanorum Pontificum gesta ostendunt. *c)* Quin et pretio, Augustæ Potestati

b) V. CONRING. de Constit. Episcop. §. 19. 20. BALVZ. Not. ad Agobard. p. 122. MARCA de Concord. Imp. et Sacerdot. Lib. VIII. Cap. IV. §. 9.

c) V. HENNIGES de Summa Imp. Potest. circa Sacra Cap. VII. §. 8.

testati a Romanis pendi solito, ista novi Prae-
 fulis Romani confirmatio redimenda erat:
 quod CONSTANTINVM IV. quidem Agatho-
 ni demum Pontifici remissè, SIGEBERTVS
 GEMBLACENSIS *d)* auctor est, ita tamen, ut,
 remissis sportulis, quod caput causae erat, con-
 firmationis petendae necessitas, integra mane-
 ret. Varia quoque, inde a Seculo IV. hujus
 Juris ab Imperatoribus circa constitutionem
 Episcoporum imprimis Romanorum, exerci-
 ti, extant exempla. Ita enim LIBERIVS Papa
 a CONSTANTINO M. accepit *Episcopatum Ro-*
manum. Ita electis, post ZOSIMI Episcopi
 obitum, eodem tempore duobus, BONIFACIO
 et EVLALIO, causaque ad Imperatorem HO-
 NORIVM delata, hic utrique, ne ante litem
 finitam Romam adirent, interdixit: cumque
 EVLALIVS, neglecto Imperatoris interdicto,
 sacrum munus nihilominus sibi arrogasset,
 hunc in exilium egit, BONIFACIO vero Jussu
 suo Episcopatum firmavit. *e)* Idem Juris
 A 3 postmo-

d) Ad Ann. 680. ibi: *ut si contingeret, post ejus transitum, electionem fieri, non debeat ordinari, qui electus fuerit, nisi prius decretum generale introducatur in Regiam urbem, secundum antiquam consuetudinem, ut cum eorum scientia et iussione debeat provenire.*

e) V. BARON. ad ann. 418. LVITFRAND. in Vit. Bonifacii, Oper. Antwerp.

postmodum quoque Orientales Imperatores, quamdiu Roma ipsorum imperio fuit subiecta, exercuerunt, ita, ut non eligere liceret Pontificem, nisi consentiente Imperatore: quod etiam Romæ per diu accurate observatum est. Quapropter cum *PELAGIUS II.* electus et consecratus esset, non impetrata Cæsaris approbatione, missus est Constantinopolin Gregorius tunc Archi-Diaconus, ut istud factum excusaret: quod, obsessa per Longobardos Urbe, Imperator Constantinopoli non potuerit adiri. *f*) Quin adeo nihil Populi Romani valuit electio, neglecto Cæsaris consensu, ut *GREGORIUS* Pontifex proclamatus (qui rarissima modestia oblatam suffragii dignitatem anxie fugiebat) et Præfectus Urbi, adversis epistolis, non alibi, quam apud Imperatorem *MAVRITIVM*, ille confirmationem deprecaretur, hic supplex urgeret; haud nescia utraque parte, sive probaverit Imperator electionem, sive impositum onus, ut Gregorio visum, in alium juberet transferri, parendum esse. *g*)

Eadem

Antverp. ann. 1640. edit. p. 219. ibi: *Præcepto Imperatorum in urbem est revocatus, et in sede stabiliter constitutus.*

f) AIMOIN. Lib III. Cap. 38. BARON. ad ann. 590.

g) CLYVER. Epit. Hist. in Imp. Mauriti.

Eadem potestas, qua Constantinopolitani Imperatores circa constituendum Pontificem Rom. gavisi fuerant, postea ad CAROLVM M. cum primum Advocatus Ecclesiæ Romanæ, deinceps Patricius Romanorum, ac tandem Imperator Romanorum Augustus appellatus esset, transiit, ab HADRIANO Papa, in Concilio Lateranensi, suffragantibus 153. Episcopis atque Abbatibus, Populoque Rom. solenniter agnita atque firmata. b) Eandem potestatem etiam Successores CAROLI M. exercuerunt atque conservarunt: Sicut et, tempore ARNVLPHI, ejusque Anti-Cæsaris LAMBERTI, in Synodo Ravennatensi denuo decretum est, Consecrationem Pontificis non, nisi præsentem Imperatorem, aut ejus Legato, peragendam. i) Nec quidquam mutatum, cum Augu-

b) Decretum HADRIANI refert SIGEB. ad ann. 773. et ex eo GRATIAN. Dist. 63. cap. 22. sed plenius istud, ex vetustissimo libro Florentino extractum exhibet THEODORICVS ANIEM, et ex eo SCHILTER Inst. J. Publ. Tom. II. p. 1. ibi: ADRIANVS Papa cum omni Clero et Populo, ac universa sancta Synodo, concessit CAROLO AVGVSTO omne suum jus et potestatem eligendi Pontificem, et ordinandi Apostolicam sedem etc. Si quis contra repugnaverit - - sciat, se in iram B. Petri - - casurum, et anathematis vinculo damnatum perpetuo victurum etc.

i) v. Decretum ap. SIGON. de Regn. Ital. Lib. VI. p. 145. ibi: Quia sancta Rom. Ecclesia, moriente Pontifice, multas patitur violen-

Augusta Imperii Rom. Dignitas ad OTTONEM M. translata est; quin uti ipse summam et vere Cesaream in Pontificem Rom. obtinuit potestatem, ita et Jus eundem constituendi vel exauctorandi strenue sibi asseruit. Hinc, postquam Romæ coronatus fuit, statim anno sequenti, Jurejurando se obstringere oportuit cives Romanos, *nunquam se Papam electuros et ordinaturos, præter consensum atque electionem Domini Imperatoris OTTONIS Caesaris Augusti, Filii-que ipsius, Regis OTTONIS.* Rogavit autem tunc Synodus Episcoporum ab OTTONE congregata, ut JOHANNEM Papam exui honore, et alium in ejus locum eligi, pateretur; quod utrumque effectum est. *k)* Eidem porro OTTONI, omnibusque ejus successoribus LEO VIII. *in perpetuum concessit facultatem sibi eligendi successorem; atque summæ sedis Apostolicæ Pontificem ordinandi; adeoque decretum Lateranense, quod idem Juris CAROLO M. adseruerat, OTTONI*

violentias, quod insciente Imperatore, aut Legatis eius absentibus, Pontifex consecratur, - - volumus, ut posthac Pontifex, convenientibus Episcopis, et universo Clero, Senatu, et Populo expetente, legatur, atque ita in conspectu omnium celerime electus ab omnibus, presentibus Legatis Imperatoris, consecratur.

k) V. LVITPRAND. Lib. VI. add. CONRING. de Imperatore Rom. Germ. §. 49. 50.

TONI renovavit. 1) Nec latuit Cives Romanos Jus istud Cæsareum eligendi ex arbitrio Pontificem: unde *Legati Romanorum Imperatorem pro instituendo, quem vellet, Rom. Pontifice in Saxonia adierunt, honorifice suscepti atque remissi. m)* Eadem potestate Cæsarea in constituendo Pontifice, et quidem non sine severitate, usus est OTTO III. quippe qui non solum Brunonem consanguineum suum, qui post ea GREGORIUS V. dictus est, Pontificem creavit, sed etiam cum eodem tempore Crescentius Consul Principatum urbis sibi sumisset, aliumque instituisset Pontificem; illum quidem iussit præcipitari, huic vero et manus amputari, et aures abscindi, et oculos erui. 2) Atque sic omnes Pontifices Romani, alique Archi-Episcopi pariter ac Episcopi, pedum Episcopale tunc ex Imperatorum manibus acceperunt, veraque hæc Cæsarea potestas integra mansit ad HENRICVM usque IV. cuius pater, HEN-
 B RICVS

1) Extat Decretum LEONIS sed contractum ap. IVON. Carn in Pannom. Lib. VIII. Cap. 136. et GRAT. Dist. 63. Cap. 23. integrum vero apud THEOD. ANIEM de Jurib. et Privileg. Imp. p. 248. it. GOLDAST. Const. Imp. Tom. I. p. 34. et SCHILT. loc. cit. p. 80.

m) Contin. REGINONIS ad ann. 965.

n) BARON. ad ann. 996. CONRING. de Imperat. R. G. §. 50.

RICVS III. adeo Jure suo usus est, o) ut non dubitaverit BARONIVS illum hoc nomine nescio cujus hæreseos Henricianæ auctorem proclamare. p) Imo ipse GREGORIVS VII. Papa, inconsulto HENRICO IV. electus, initio non solum ea propter sese excusavit, sed etiam ordinari prius noluit, quam de consensu Imperatoris certus esset: q) Licet is primus, inaudito facinore, non solum hac potestate, sed et ipsa Cæsarea dignitate HENRICVM IV. exuere ausus fuerit. Ab hoc autem tempore contentio inter Regnum et Sacerdotium, Antesignano eodem GREGORIO, de investitura inprimis Episcoporum per baculum et anulum enata est, ita tandem finita, ut Imperator HENRICVS V., solenni transactione cum CALIXTO II. inita, jus istud investituræ Pontifi-

o) Tribus Antipapis enim canonica et imperiali censura depositis, Suintgerum, Babenbergensem Episcopum, Papam constituit. v. SIGEB. ad ann. 1046. *Annal. Sax.* ad ann. 1047. T. I. Script. rer. Brunsvic. p. 577. *Jurantibus quoque Romanis*, ut Monachus triumfontium ad ann. 1046. addit, *se, sine Eius consensu. Eiusque successorum, nunquam Papam electuros.*

p) ad ann. 1046. CONRING. l. c. §. 51.

q) SCHAFFNAB. ad ann. 1073. fol. 488. ibi: *se, Deo teste, honoris huius apicem nunquam affectasse, sed electum se - - cogi tamen nullo modo potuisse, ut ordinari se permitteret, donec NB. in electionem suam tam Regem, quam Principes Regni Teutonici, consensisset, certa legatione cognosceret.*

Pontifici cederet, inque omnibus Ecclesiis, suo imperio subjectis, canonicam electionem et liberam consecrationem fieri permetteret: r) Quamvis non defuerint Imperatores, qui pristina Imperii jura subinde vindicare conati sunt. Quod vero ad Electionem Romani Pontificis attinet, de qua nihil ista transactione definitum est, varia de ea extant decreta papalia, quibus eadem magis magisque formata, atque commodis papalibus accommodata fuit. Et cum inprimis grave Pontificibus esset, Senatum quoque, Populumque Romanum, sese electioni papali immiscere, omnem moverunt lapidem, ut utrumque ab eadem excluderent. Primus hoc tentavit

B 2

tavit

r) Verba transactionis sunt: *Ego HENRICVS D. G. Rom. Imp. Aug. pro amore Dei et S. R. Ecclesiae et Dn. Papae Calixti, et remedio animae meae, dimitto Deo et SS. Dei Apostolis, Petro et Paulo, Sanctae, Cath. Ecclesiae omnem investituram per annulum et baculum; concedo, in omnibus Ecclesiis, quae in Regno vel Imperio meo sunt, canonicam fieri electionem, et liberam consecrationem. Vicissim: Concedo, inquit Papa, electiones Episcoporum et Abbatum Teutonici Regni, qui ad Regnum pertinent, in praesentia tua (Imperatoris) fieri absque simonia et aliqua violentia; ut si aliqua inter partes discordia emerferit, Metropolitanis et Provincialium consilio vel iudicio, saniori parti assensum et auxilium praebeas.* v. GOLDAST. Const. Imp. fol. 55. CONRING. de Const. Episc. §. 56. 57. ZIEGLER. de Episc. Lib. 2. C. II. §. 13. HENNIG. l. c. §. 28. 29.

tavit *INNOCENTIUS II.* atque an. 1443. perfecit. Cum enim Romani publico edicto Papam a regimine Urbis arcere, atque in Ecclesiam relegare non essent veriti, hic, facinus ulturus, Populum Romanum a sacris amovit, atque Pontificiorum jure Comitiorum, cujus a primis temporibus ad eum usque diem particeps fuerat, spoliavit. *s)* Ita, excluso Populo, electio Pontificis solis *Clericis Cardinalibus*, quorum præcipua dudum in ea auctoritas fuerat, est relicta. At cum dissidentibus Cardinalibus, sæpe plures Papæ simul essent electi, atque Schisma, non sine scandalo, in Ecclesia Rom. exortum: ab *ALEXANDRO III.* fuit decretum: *si inter Cardinales de Pontifice eligendo convenire non possit, Pontificem e duabus partibus eligendum: t)* quæ forma electionis hodieque servatur. Cum vero nihilominus experientia docuerit, Senatum Purpuratorum sæpe in partes ivisse, ita, ut pars Romæ alium, alium pars Avenione Papam elegerit: electio deinceps tantum in *conclavi* Romano suscepta, imo ex decreto *JVLII II.* Conciliis quoque adempta,

s) v. SIGON. de Regno Ital. Lib. II. p. 275.

t) v. SIGON. l. c. Lib. 13. n. 336.

ra, atque ad solum Pontificum Collegium in Conclavi congregatum, restricta fuit. u)

Jam quid juris AVGVSTISSIMO IMPERATORI nostro circa *constitutionem Pontificis* reliquum sit, curatius peruestigare operæ pretium fuerit. Certe nondum pristinis juribus suis prorsus Imperatorem excidisse, omnino propitia veritate asserendum videtur. Licet enim varia decretis Pontificum circa electionem Papalem constituta, eademque soli Purpuratorum Collegio demandata fuerit: hæc tamen IMPERATORI fraudi esse nequeunt, quippe qui jure suo sine suo consensu spoliari non potuit. Quamvis nec ullum extet decretum, quo IMPERATOR ab electione Pontificis expresse fuerit exclusus: Sicut neque extat pactum, quo juri suo renunciaverit AVGVSTVS. x) Transactio HENRICI V. et CALIXTI II. ad Episcopatus Regni Teutonici spectat, neque adeo cum electione Pontificis Romani quidquam habet commercii. Sane post hanc transactionem adhuc, FRIDERICO I. Imp. auctore, in Conventu Episcoporum

B 3

rum

u) V. GVICCIARD. Hist. Ital. L. II. p. 401.

x) V. AVENTIN. Annal. Boj. Lib. 6. circa fin.

rum Senatusque Imperii, decretum, *nullum posthac fore Pontificem Maximum, nisi qui, more Majorum, consensu Imperatoris creetur, atque nuncius duntaxat Christi, Successorque Petri, non etiam Cæsareæ potentiae pertinax æmulus esse velit.* Et quamvis IUDOVICVS IV. Romanis Electionem Pontificis concesserit, y) hoc ipso tamen jure suo Cæsareo circa constituendum Pontificem se non exuit: quippe quod ipse, NICOLAUM V. Pontificem creando, strenue adhuc exercuit. z)

Firmum igitur manet Jus Augusti, vi cuius nec hodie Pontifex Romanus citra *consensum* IMPERATORIS est eligendus, imo nec, nisi præsentis Imperatoris Legato, electio temere forte suscipienda. *Jus consentiendi*, ne sit inefficax, etiam jus dissentiendi complectetur, atque adeo *jus excludendi* eum, qui minus idoneus ad Sedem Papalem videtur, producet. Quod licet etiam Reges Gallia et Hispania sibi sumant; non tamen eodem jure, quo Imperator, istud exercent: Siquidem illis nunquam jus constituendi Pontificem fuit, quo

y) v. Cap. 30. Dist. 63.

z) v. BODIN. de Republ. p. 179. D. GLAFEY Hist. Germ. Polem. Lib. II. Cap. VI. p. 418.

quo tamen ab omni ævo gavifus est IMPERATOR. Unde magis per occultas artes ac machinationes id agunt, ut in partes suas trahant Cardinales, atque adeo ex voto suo eligatur Papa. *aa)* Imperator contra jure optimo maximo, pro ea, qua omni tempore in hoc negotio polluit, auctoritate, excludit minus idoneos. Gravior est disceptatio, an et *jure arbitrandi* gaudeat Imperator inter Purpuratos, circa eligendum Pontificem dissidentes: exemplo illius juris, quod ipsi transactione Calixtina, in Episcopatibus Regni Teutonici est relictum. Equidem adhuc hodie dissidia sæpe maxima circa electionem Pontificis enasci, vel novissima electio, satis diu hinc protracta, suo comprobat exemplo: dum præter illos, qui AVGVSTI IMPERATORIS partibus favebant, factiones *Gallica, Hispanica, Italica, Albanica, Zelantium*, Conclauē inter se dividebant. At non facile casus aut locus videtur extiturus, ubi arbitrio suo Cæsar terminare queat dissidia electionis: eo quod, ex decreto *ALEXANDRI III.* non possit eligi Pontifex, nisi qui a duobus Purpuratorum parti-

aa) v. MVLZ. Majest. Imperat. Part. II. Cap. XXXIII. n. 98.



partibus sit electus. Nihilominus, si forte eveniat, ut vota Cardinalium alia ratione non possint conciliari, annon tunc Jure suo uti, atque partes suas interponere et possit et debeat IMPERATOR, ne Ecclesia Romana diutius careat Episcopo, quod censet MVLZIVS, Consiliarius quondam Aulicus Imperialis, *bb)* aliis pensandum relinquo. Denique et *jus confirmandi Pontificem electum*, more pristino, exercere integrum Imperatori videtur: cum neque hoc jure suo se abdicasse ullibi reperiatur. Certe usque adhuc Imperator, si non expresse, saltem tacite, Pontificem confirmare censetur, dum electum non repudiat: quod quidem temere et absque gravissima causa non fiet. Imo Collegium Cardinalium ita rebus suis providet, ne alius eligatur, nisi quem ab Imperatore probatum iri certo constat, neque adeo justa Imperatori detur causa electum non admittendi. *cc)* Sed hæc omnia ulteriorem forte meditationem sibi poscunt, ac disquisitionem, quam instituti ratio jam non admittit.

bb) loc. cit. n. 98. Eidem sententiæ favet Dn. D. GLAFEY l. c. Lib. I. Cap. XIII. p. 234.

cc) Conf. MVLZ. l. c. n. 94.





155053

8

AB 155053

KL 468 nd






B.I.G.

Farbkarte #13

19
MMERICHI, IC.
ERNEST. CONSIL. AVLICI,
T. PRAESIDIS ORDINARIJ,
IS ET ANTECESS. PRIMARIJ
A IENENSI,

A M M A
R E
IMPERATORIS
A
VENDVM
ANAE CAPVT,

M DCC XXIV.
CCVSV.



RITTERIANIS
XXXX.

